

III.
REGNUM MORTUORUM.

Nro. 10.

*Secretam litterarum commercium inter Vivos
et vita functos*

*Vecturarius ex Elysio filio suo in mundo sub-
lunari.*

Elysium-Meum.-Die Veneris 24. Feb. 1809. (Neov. 10, Feb. 1809)

Andreas, matri, affini, patrueli, vicinis &
servis nostris, omnibusque notis, tibi que
Care fili Salutem!

Placuit divinæ bonitati me inopine ex
hoc orbe avocare, multa vobis dicenda ha-
buissem, nisi tempore exclusus fuisset. Dicit
Joanni, Mathiæ aliisque familiaribus nostris;
a me ex Elysio litteras scriptas tibi, legito,
perlegito curiose eas, ut exemplo sibi su-
mant; mecum jam fabula acta est, at mea
experientia nonnulli vecturario usui esse po-
terit.

Esto Care fili! gnavus & solers; memento
Del, qui solus nobis benedicere, nosque ad-
juvare potest. Adjuncta vecturarii typus sunt
itineris ad æternitatem. Omnis gressus ad
eam ducit, mercedem vecturæ Supremum
Numen pro merito nostro in alia vita depen-
dit. Animadvertere mihi licuit, vecturarios
nostra ætate non usque adeo probissimos es-
se. Jejunium oratioque parum eos fatigat.

Dum progredi nōn licet, ad blasphemias recurritur; hæc quidem pessima consuetudo est. Ipsi equi usque adeo ei jam asseverere, ut maledictis & execrationibus plus tribuant, quam mansuetis; ab hoc more tu quidem, Care fili! si sapias, cavebis.

Hicce matutinas preces tibi commendandi animus est, quas omnes rei vecturariæ dediti absolvant oportet, sunt eæ experientiæ multiplices meæ ad commodatæ, quas quibusvis nostræ conditionis hominibus communices etiam atque etiam rogo.

Preces matutinae Vecturariorum.

Ago tibi gratias Mercuri! tutelaris rei vectoriæ, quod fessum corpus meum requie refocillationeque donaveris. Conjice quæso oculos in me benignos, & largire mihi & equis meis sanitatem viresque, ut creditis carpento meo merces salvas ad locum, sedemque valeam deportare.

Largire quoque carpento meo durabilitatem facque, ne seu axis, seu temo, seu rota frangatur; etenim vere contremisco, dum in manus alienigenarum fabrorum, & Carpentariorum mihi incidendum, quod ab iis sæpe sæpius jam delusus sim, ut caput vertiginis repletum sit.

Tuere me clementissimo a furum contuberniis aut servitiis deditis Camerariis, qui itinerantes intra valles, & in saltibus ventibus exuunt, nec postea induunt amplius; quippe fex hæc hominum, quadam vice trochleam, securim, catenamque meam mihi

subduxit. Dominis Mercatoribus & Speculantibus tribue liberale cor, ut tantum mercedis nobis dent, quantum petimus, etenim tu calles probe, quantopere miseri nos venturarii itinerantes affligamur.

In æstate calorem tempera, nimius enim æstus nos debilitat, gutturque tanto pulvere implet, ut vix cerevisiæ aut Cremati florenti quantitate abluatur, brumali vero tempore sæpenumero dominis mercatoribus in calefactis hypocaustis omnibus vitæ commoditatibus indulgentibus, superne, æque ac inferne adeo madefimus, ut stridor dentium sit, dumque molli strato incubantes noctem in dulcibus conjugum suorum amplexibus exigunt, nobis interea stramineo strato incumbendum est.

Dominis quoque supremis viarum vicorumque Inspectoribus tribue cor sensibile, ne equos alioquin afflictos nostros in malis viis cruciare, teloniumque pro nihilo & erga nihilum dependere cogamur.

Animos præterea Dominorum Supremo- rum Teloniorum, Accisarum & vectoralium reddituum perceptorum dirige, ut expendant: nos neque aureas, neque argenteas perticas, sed merces vehere, quæ aromata, gossipium, haleses, oleum & idgenus alia constituunt, uique propterea christiana æquaque ratione nobiscum agant.

Præprimis vero dirige mentes Dominorum Cauponum, ut nobis advenientibus mox bonæ qualitatis Cerevisiam, & optimæ noæ

Dum progredi nōn licet, ad blasphemias recurritur; hæc quidem pessima consuetudo est. Ipsi equi usque adeo ei jam assevere, ut maledictis & execrationibus plus tribuant, quam mansuetis; ab hoc more tu quidem, Care fili! si sapiis, cavebis.

Hicce matutinas preces tibi commendandi animus est, quas omnes rei vecturariæ dediti absolvant oportet, sunt eæ experientiæ multiplici meæ adcommodatæ, quas quibusvis nostræ conditionis hominibus communices etiam atque etiam rogo.

Præces matutinae Vecturariorum.

Ago tibi gratias Mercuri! tutelarisi rei vectoriæ, quod fessum corpus meum requie refocillationeque donaveris. Conjice quæso oculos in me benignos, & largire mihi & equis meis sanitatem viresque, ut creditis carpento meo merces salvas ad locum, sedemque valeam deportare.

Largire quoque carpento meo durabilitatem facque, ne seu axis, seu temo, seu rota frangatur; etenim vere contremisco, dum in manus alienigenarum fabrorum, & Carpentariorum mihi incidendum, quod ab iis sæpe sæpius jam delusus sim, ut caput vertigine repletum sit.

Tuere me clementissime a furum contuberniis aut servitiis deditis Camerariis, qui itinerantes intra valles, & in saltibus verbibus exuunt, nec postea induunt amplius; quippe fex hæc hominum, quadam vice trochleam, securim, catenamque meam mihi

subduxit. Dominis Mercatoribus & Speculantibus tribue liberale cor, ut tantum mercedis nobis dent, quantum petimus, etenim tu calles probe, quantopere miseri nos venturarii itinerantes affligamur.

In æstate calorem tempera, nimius enim æstus nos debilitat, gutturque tanto pulvere implet, ut vix cerevisiæ aut Cremati florenti emti quantitate abluatur, brumali vero tempore sæpenumero dominis mercatoribus in calefactis hypocaustis omnibus vitæ commoditatibus indulgentibus, superne, æque ac inferne adeo madefimus, ut stridor dentium sit, dumque molli strato incubantes noctem in dulcibus conjugum suorum amplexibus exigunt, nobis interea stramineo strato incumbendum est.

Dominis quoque supremis viarum vicorumque Inspectoribus tribue cor sensibile, ne equos alioquin afflictos nostros in malis viis cruciare, teloniumque pro nihilo & erga nihilum dependere cogamur.

Animos præterea Dominorum Supremo- rum Teloniorum, Accisarum & vectoralium redituum perceptorum dirige, ut expendant: nos neque aureas, neque argenteas perticas, sed merces vehere, quæ aromata, gossipium, haleses, oleum & idgenus alia constituunt, utque propterea christiana æquaque ratione nobiscum agant.

Præprimis vero dirige mentes Dominorum Cauponum, ut nobis advenientibus mox bonæ qualitatis Cerevisiam, & optimæ noxæ

Crementum propinent, & postquam equos pabulavimus, ordinariam prandium pro recepto in cœtu nostro more mensæ apponant: utpote:

- 1) Forte bubulum jusculum, cum delicata ptisana hordeacea, & plenum caulibus.
- 2) Olus genuina bubula carne vestitum.
- 3) Pisces vinaceo & ovis confecto condimento.
- 4) Pernam rubro vino maceratam, Brunsvicensi musto conditum farcimen, cum lactuca & prunis.

Postpastum constituent, ad orificium stomachi claudendum fructus, butyrum, & caseus; id vero probe advertendum, quod una amphora evacuata altera continuo repleta præsto esse debeat.

Nocturno tempore diversitores probe calefacti Cubilis curam habeant, ne frigore tremamus in stramineo strato instar Judæi, qui ad furcæ educitur.

Rege porro corda Dominarum Caupenum, ne per amorem Mosis, nec Cichoreum, nec rapas Coffeæ immisceant, quippe plerique medici contendunt: malefaustum cichorium sulphureas particulas continere; quæ potissimum nervos opticos afficiunt; raparum vero usu animum adeo tristem reddi, ut virgo Berolinensis cum fila ducenda sibi, aut hebes patronus causæ, cum Causa cadit.

Denique rege quoque corda Oeconomorum, & Colonorum, ut fruges suas, aliisque victualia non tanto pipere inspergant,

tanto minus duobus tribusque annis granariis suis includant, hæcenus enim nequam hi homines conscientia nullam rationem habuerunt.

Protege, & tuere commercium nostrum ut & triticum nostrum floreat.

Exaudi nos, mercatores, quæstoresque, & preces respice; alii viderint, ut sibi negotia successura sint. Amen.

Absolutis matutinis precibus quivis Vecturarius graves meditationes super statu suo instituere potest; sane bellum maritimum rem vecturariam provexit; denique sinistra omnis fortuna comitem habet secundam. Merces olim in enormi copia navibus transponi solitæ, hodie beneficio axis transvehendæ sunt, Circumstantia hæc rei vecturariæ majorem auctoritatem, amplioemque functionem conciliat. Colonis, cauponibus, telonii hoc utile cumprimis & fructuosum; etenim onera navium nec fœnum, nec avenam consumant, bene vero onera carpentorum & plastrorum: quam sublimes ideæ hæc meditatione menti obversantur! quam venerabilis, æstimatione dignus gravisque est status vecturariorum! nunquam tantæ erat auctoritatis— at lente agendum! ideoque absit omnis fastus, & ambitio, tempora reverti possunt, quibus navigatio postliminio Jaribus priscis restituenda, & tum arduum erit fastum deponere.

Hac occasione aliquot nuncia addere lubet, quæ vecturarius nuper admodum ex mundo superiore ad has oras adferebat. Anglos, memorabat, Hispania decessisse,

Corunnæque residuas copias navibus imposuisse; Nuncium officiosum XXXI. horribilis receptus descriptionem texit, Anglorum & eorum, Corunnæ, navium conscensionis. Hispania igitur & Portugallia de integro recuperata & devicta est, omnisque Anglorum auctoritas in hoc regno propulsata; sic bellum desit in quo amplam spem Anglia collocavit.

Neapoli die 22. Jan. Vigore editi nuper Decreti omnes exteri, qui utilia publica servitia præstiterunt, excellentis ingenii dotibus gaudent, novis detectionibus inlarescunt, notabilia Instituta politica erigunt, aut prædia emerunt, quæ minime 100 ducatorum annuos redditus largiuntur, Jus Civitatis adipiscuntur.

Nuncii Buocaresto de 17. Dec. ferunt: Mustapham Bairactarum, ante Magni Vezirii dignitatem obtentam thesauros suos ad arcem Giurgewo custodiae causa deferendos curasse, quod Budschuck, ubi olim residebat, patens locus esset; jam regimen Turcicum thesaurus hos extradari postulat, cognati refragantur eos exhibere; quare 20 mille armati violenta ratione eorum traditionem procurare jussi sunt.

Augusta 4. Febr. Repetiti nuncii perhibent: in Rhenani Fœderis ditionibus Austriæ conterminis multifarios motus suscipi, qui coactionem & motionem notabilium copiarum indicant, nominatim id in Saxonia, Bavaria, Virtembergæ & aliis Confœderatorum ditionibus obtinere dicitur, quæ Contingens suum

nondum in Hispaniam expediverunt; aliis hos motus, & adparatus ad Gallic. Rhenanos limites, ipsam usque Italiam extendunt. Non interrupta sollicitudo, qua Austrincum regimen ex tempore Pacis Posoniensis, novissimis præsertim temporibus operam dedit, felicitatem, & salutem frequentium subditorum suorum promovendi, firmandique, & in specie opportunis institutis externam Imperii securitatem stabilendi, nulli dubio locum relinquunt, nunc quoque omnes dispositiones, quæ ad principem hunc regiminis scopum relationem habent, jam jam initas, & pro adjunctorum exigentia deinceps quoque ineundas esse.

Miscellanea.

Ratisbona 12. Febr. Plures Gallicæ germanicæque novorum paginæ ex aliquanto tempore adeo inconcinnas, insulsasque de præsentī Monarchiæ Austriacæ statu Animadversiones texunt, ut reapse de eo solum ambigatur: uter majore compassione dignus sit: lectorne, qui miseri id genus fœtus apponuntur, an Editor; qui fidem apud prudens publicum se obtenturum autumat. Ita legitur in una earum e. g., „In interioribus Monarchiæ Austriacæ nullam prorsus dari amplius securitatem, prædocinia in omnibus provinciis organisata esse. Viennæ regionem meris latronibus & sicariis cinctam esse” — alio loco dicitur, militi Austriaco biennium necessarium esse, ut dextrorsum & lævorsum dorsum vertat, & scopum manu tenere discat, ad fundendum tormentum tribus, Equestrem aciem formandam

quindecim annos desiderari e. s. p. Ultra multo proceditur,, & proluxa deductione demonstratur : , Austriam in adjunctis totalis impotentiae & exhaustarum virium versari, constare multo heterogeneis partibus, quam ut inde unio voluntatis & energia possit promanare, e. s. p.

Oro, obsecro, obtestor! quam alia sententia, quam sinceræ commiserationis id genus lepidae animadversiones in animo magnanimi Austriaci nobilis Hungari, præclari Galliciani, patriotici Bohemi excitare valent? — Eis, qui quotidie certant argumentis fidei & propensionis in terræ principem edendis. — His — qui paullò ante pulcerrimum ultroneum Unionis ad salutem & conservationem Monarchiæ maximum & manifestum patriæ amoris ediderunt monumentum? — Felix Civitas! in qua ad morem Austriæ quivis Civis patriota est! in qua non biennio, sed paucis hebdomadis opus est, ad patriotam bellica virtute imbuendum, in qua rerum proprietas non secus ac interua securitas custoditur, in qua summa vis, & robur mutua, & nimis quam firmatæ fiduciæ innititur; ut quibuscunque demum adversis Casibus, adjunctisque, minime vero gentium adeo superficialis, misere contextis novorum articulis infirmari possit.